



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Concordia civium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine justitia, nullo pacto esse potest. Ad Tullium accedit Plutarchus lib. de amicis. Musica, inquit, in cantu & organis, argutè quidem concors est, ex acutis, & medijs, & gravibus modis, quanquam sint dissimiles; ita firma amicitia non aliter, atque una anima in multis corporibus, æquabili ratione consistit.

II. (b) In hunc modum Thebarum mœnia exædificavit canorus Amphion, & adversus hostiles aggressiones communiit; quid enim validius ad propugnandum & tuendum, quàm civium concordia? Hoc munimentum, fundatore Lycurgo, urbis Sparta fuit. Vnde Agesilaus rex ibidem, rogatus à quodam, cur Sparta mœnibus non cingeretur? ostendit ei cives unanimes & armatos: Hi, inquit, sunt Spartanæ civitatis mœnia; significans, urbes nullo munimento tutiores esse, quàm virtute civium consentientium. Plutarch. in apopht. Lacon. Rursum Lacedæmonij seu Spartani cùm de civitate mœnibus cingenda consularent, Isæus Sophista recitavit illud Homeri:

Scutum hæsit scuto, galea galea, atque viro vir.

Addiditque: sic mihi stete, Lacedæmonij, & muris cincti sumus. Illustrantur hæc exemplo Sciluri, regis Scytharum, qui octoginta filiorum pater, cùm moriturus esset, fasciculum jaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Quod cùm illi fieri posse negassent, ipse singula jacula è fasciculo exemit, & confregit, filios admonens his verbis: si concordēs eritis; validi, invictique manebitis: contra, si dissidijs ac seditione distrahamini, imbecilles vos præbebitis, & expugnatu faciles. Simile de Micipsa Numidarum rege memorat Sallustius; qui jam jam è vita excessurus, filios paterno monuit affectu, ut concordēs sint, addens: *Concordiâ res parva crescunt, discordiâ maxima dilabuntur.* Confirmat hæc omnia Salomon Prov. 18. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, & judicia, quasi vestes urbium.* Videlicet concordia fratrum est instar urbis munitissimæ & inexpugnabilis; *judicia* verò, hoc est, lites & dissidia fratrum, sunt quasi vestes urbium seu fores, quæ per discordiam facile hostibus referantur, & præbent aditum. Huc facit Symbolum Ottoberti Comitæ Habsburgici, in quo Cithara sustinetur ab armato brachio, cum inscriptione: *Hæc mihi tuba.* Quasi diceret: ad concordiam potiùs, quæ animorum est harmonia, quàm ad arma vocabo. Vide Alciati emblemata 10.

III. (c) Possent per Amphionis citharam heptachordon intelligi

Z 2

septem

(b) Concordia civium. (c) Cithara est hieroglyphicum boni Principis.